



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

61. Maximiliani Primi Imp. Diploma Dat. Treuiris Anno MDXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

missa debitè requisitis. Et quia ego Ioannes Wahl de Epternaco laicus Treuiren. Dioces. Sacris Apostolica & Imperiali autoritatibus publicus Notarius tali protestationi ac omnibus alijs & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur fierent & agerentur, præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audiui: Idcirco hoc præsens publicum protestationis instrumentum exinde confeci; & in hanc publicam formam redegi, signo, nomine & cognomine meis solitis & consuetis subscripsi & subsignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus atque requisitus.

61.

*Maximiliani I. Imperatoris Diploma Datum Treuiris,
Anno MDXII.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Maximilianus diuinâ fauente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lottaringiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Corinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lutzemburgiæ, Geldriæ, Landtgravius Alsatiæ, Princeps Sueuiæ, Palatinus in Habsburg, & Hannoniæ Princeps, & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goriciæ, Hollandiæ, Seelandiæ, & super Anasum & Burgoniæ Dominus, Suthphaniæ, Phrisiæ, Marchiæ, Sclauoniæ, Mechliniæ, Portus naonis & Salinarum, ad perpetuam rei memoriam. Recognoscimus & præsentium tenore profite-mur, cum nostrum esse semper duxerimus, & vniuersorum sacri Imperij fide-lium subditorum commodis & vtilitatibus consulamus, illorum tamen honori & dignitati diligentius intendendum censemus, quorum morum integritas, & vitæ sanctimonia, singulare præ se fert exemplum; attendentes igitur Monaste-rij Sancti Maximini in suburbio Ciuitatis Imperialis Treuiren. constructionem & dotationem à prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus institutâ Religiosorum illius Monasterij exactæ vitæ professionem, obseruantiam & de-uationem, dignum iudicauimus, vt quod per illos bono zelo erectum extitit, per nos sedulo conseruetur, quo & diuinus cultus amplietur & augeatur, & sanctis, quorum corpora ibi quiescunt, maior indies honor exhibeatur, Hocq; ex eo maximè futurum arbitramur, si Abbas, & Religiosi ipsi in bonâ quiete & tranquillitate à nobis tanquam Romanorum Imperatore, cuius protectioni & Saluagardiæ immediatè subiacent, tueantur & foueantur, Accedens itaque ad nostræ Altitudinis præsentiam Honorabilis, deuotus noster dilectus Tho-mas Abbas, præfati Cœnobij Sancti Maximini, nobis obtulit litteras Priuilegio-rum, Concessionum, Libertatum, Gratiarum, Confirmationum, Immunitatû, Iurium, feudorum, Castrorum,munitionum, oppidorum, villarum, terrarum, fluminum, riparum, nemorum, donationum, dominiorum, Iurisdictionum, cõ-suetudinum, honorum & obseruantiarum prædecessoribus suis & ipsi Mona-sterio concessorum & commissorum, quorum tenores de verbo ad verbum se-quuntur.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, omnium Christianorum nouerit industria &c. Et nobis humili cum instantiâ supplicauit, vt præfatas litteras confirmare, corroborare, & innouare dignaremur. Nos verò precibus suis non indignis adnuentes, prædictas litteras Principum, Baronum & Procerum no-

strorum

strorum accedente ad hoc consilio, confirmauimus, corroborauimus & innouauimus, & præsentium tenore ex certâ scientiâ, & de potestatis nostræ plenitudine confirmamus, corroboramus, & innouamus, statuentes & decernentes, vt præfatæ litteræ quocunq; nomine censeantur, in omnibus suis clausulis, punctis, verbis, tenoribus, sententijs & continentijs firmæ & validæ sint, habeantur & censeantur, perpetuique roboris firmitatem obtineant, addentes insuper & concedentes ipsi & successoribus suis vsus & culturam mineralium, nostris tamen & Imperij Sacri superioritate & Iuribus saluis: Mandantes idcirco vniuersis & singulis Principibus, Electoribus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Præfectis Ciuitatum, Oppidorum & locorum Communitatibus & Rectoribus eorundem, cæterisque nostris & Imperij Sacri fidelibus, dilectis, cuiuscunq; status, gradus, aut conditionis existant, & maximè Illustri Duci Luxemburgensi præsentis & futuris, tanquam Aduocatis ipsius Cænobij, quatenus præfatum Abbatem, Conuentum & Monasterium, ac homines, bona, redditus, & iura ipsorum ab omnibus iniurijs, molestijs, oppressionibus, perturbationibus, & violentijs, autoritate nostra protegant, manuteneant defendant, & conferuent, quotiescunq; necessarium erit, aut per ipsos, vel eorum nuntios, seu procuratores requisiti fuerint. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ Confirmationis, corroborationis & decreti paginam infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, nostri & Imperij Sacri indignationem, & pœnam quinquaginta Marcarum auri puri, pro medietatè Fisco nostro, pro reliqua dimidia incuriam passorum vsibus applicandum, se nouerit incursum, harum testimonio litterarum, Sigilli nostri appensione munitarum. Datæ in Ciuitate nostra Imperiali Treuiri secunda die mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, duodecimo, Regnorum nostrorum Romani vigesimo septimo, Hungariæ vero vicesimo secundo. Signum Domini Maximiliani Inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Ad mandatum Domini Imperatoris proprium Sereniter. M. Phintzinger &c.

62.

CAROLI QVINTI IMPERATORIS
Diploma Datum Wormatiæ, Anno
MDXXI.

WIR Karll der Fünffe von Gottes Gnaden Erwehltter Römischer Kayser zu allen zeitten Mehrer des Reichs / zu König in Germanien / zu Castilien / zu

Aragon /